



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118650**

§. 64. Filvii Cornei Cardinalis mors.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67246)

Sæcul. XVI.  
A.C. 1583.

§. LXIV.

*Fulvii Cornei Cardinalis mors.*

*Ciacon. t. 3. pag 769.*  
*Aubery vie des Cardin. Vist. & Ughel in add. ad Ciacon.*  
Præter Biragum Cardinalem Roma hoc anno trium aliorum Cardinalium jacturam deplorabat, quorum primus erat Fulvius Corneus, seu de Cornia, vulgo dictus Cardinalis Perusinus, quia hac in urbe ex Sorore Julii III. Papæ natus erat. Hic ab adolescentia Melitensem equestrem Ordinem professus, Julio III. Patruo suo non magis necessitudine sanguinis, quam suavissimis moribus, ac virtutibus charus erat, hinc ab eo statim in Pontificatus initio, die scilicet quinta Maji anno salutis millesimo quingentesimo quinquagesimo primo ex Archipresbytero Perusinae Ecclesiae Episcopus primo ejusdem Urbis, ac demum Presbyter Cardinalis titulo S. Mariæ in via, seu ut alii scribunt, S. Marcelli renuntiatus est, postea autem Piceni legatione insignitus insuper regendis Ecclesiae rebus sæpissime admovebatur: Florentiam deinde ab eodem Julio III. mittebatur ad Cosmam Medicæum Hetruriae Ducem, ut ibidem de rebus Senensibus, & Montis Ilcini deliberaret: dein Spoletinam Ecclesiam, dimissa Perusina regendam suscepit, sed illius possessione a Paulo IV. deinde spoliatus est: hic enim cum Hispanis

Sæcul. XVI.  
A.C. 1583.

spanis diffidia fovens Corneorum fami-  
liam vexabat, occupatisque eorum bo-  
nis Perusinum Cardinalem comprehendi  
jusserat, qui tamen suam libertatem  
sexaginta aureorum millium pretio re-  
demit. Ex his adversis casibus tanto-  
pere mundi vanitatem fastidire cœpe-  
rat, ut in solitudine tranquillitatem  
quæreret, & unice proximum suum be-  
neficiis cumulare intentus esset, hinc  
præprimis anno Christi millesimo quin-  
gentesimo quinquagesimo primo in Urbe  
Perulina Societatis Jesu Collegium ex-  
trui curavit, Romanum vero augere  
studuit: quoniam vero premente ad-  
versa fortuna magnam suorum bono-  
rum partem amiserat, ut ea, quæ ipsi  
deessent, supplere valeret, ipse elee-  
mosynas collegit. Tandem Romæ fe-  
ria secunda annum agens sextum supra  
sexagesimum, die undecima Martii an-  
ni millesimi quingentesimi octogesimi  
tertii supremo defungitur die, & in Ec-  
clesia S. Petri de Monte aureo apud Mi-  
nores observantes in Antonii Cardina-  
lis Montani Sacello sepelitur.

Porro cum Perusinæ Ecclesiæ præ-  
esset, juxta Concilii Tridentini decre-  
ta Cleri Perusini mores castigabat, Ca-  
thedralemque Ecclesiam exornans, Se-  
minarium Clericorum erigendum cu-  
rabat, Moniales vero intra clausuram  
conti-

Sæcul. XVI.  
A.C. 1583.

continuit, aliaque multa perfecit, quæ pietatem promovere posse viderentur: insuper idem comitiis Pontificiis, quæ ipso vivente peracta sunt, semper interfuit, illis scilicet, in quibus renuntiati fuerunt Romani Pontifices Marcellus II., Paulus IV., Pius IV., Pius V., & Gregorius XIII. sub cuius Pontificatu anno nono e vita migravit.

§. LXV.

*Cardinalis Maffæi fata.*

*Ciacon. l. c.*  
*pag. 1038.*  
*Ughel ad*  
*Ciacon. &*

Alter erat Marcus Antonius Maffæus nobilis Romanus Hieronymi Filius, & Bernardini Cardinalis, atque Achillis in Purpuratorum Senatu Advocati Frater. Hic Romæ die trigesima prima Mensis Augusti Anno Salutis nostræ millesimo quingentesimo vigesimo primo natus summa industria jurisprudentiæ vacabat, atque in hac scientia eximium sibi nomen comparabat: unde a Paulo III. Consistorialis Advocatus, postea vero Canonicus ad sanctum Joannem in Laterano, ac denique mortuo Achille Fratre suo Ecclesiæ Vaticanæ Canonicus renuntiabatur: porro paulo post alteri Fratri suo in Theatino Archiepiscopatu in Neapolis Regno successerat: demum reparandis Cardinalium titulis, necnon Urbis ædificiis ruinæ proximis a Pio IV. præficietur,